



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Epistola XXV. Ad conuentum cænobij de eleemosynâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

Pastoralis officij solitudinem coactus suscepi, voluntarius desero; ditior in paupertatis amplexu, quam in ampla possessione, & negotiorum occupatione, quibus in solitudine regiminis opprimebar. Diuinæ igitur pietati, & excellentiæ vestræ, (a) Fratres nostros, & totius monasterij iura commendo, benevolentiam vestræ liberalitatis obtestans, vt protectionem & auxilium eis clementius impendatis; quia tota eorum vis emarcuit, nisi benignitatis vestræ foueatur irriguo. Præterea, latorem præsentium, qui strenuè mihi fideliterque seruiuit, benignitati vestræ commendo, vt gratiam apud vos inueniat, & in tempore necessitatis auxilium; nec patiamini eum de debitis quæ habet, in monasterio contra iustitiam fatigari. Bene valete semper in Domino.

EPISTOLA XXV.

Ad conuentum cænobij de eleemosynâ.

Absoluit omnes à sua obedientia, hortaturque eos ad pacem, & electionem Abbatis idonei.

Dilectis in Christo Fratribus, Stephano Subpriori, & toto Conuentui de eleemosyna, Fr. Philippus, in pacis & gaudij plenitudine prosperari. Nemo potest alieni cordis arcana perstringere, nec quis hominis sensum, nisi Spiritus hominis qui in ipso est. Quam cum multipliciter angariatus sit spiritus meus in administratione domus huius, in amaritudine solitudinis & laborum, in debitorum pondere, in necessarijs, varijsque discursibus, in eorum motu contrario qui promouere prospera debuissent, qui odium retulerunt pro dilectione mea, & pro deuota solitudine prefluram; nouit ille creator Spiritus, qui fecit omnem statum, & omnem spiritum sua circuit & penetrat pote-

state. Sed hæc prima abierunt, & à cordis mei conspectibus omnis euauit iniuria, nec in eius amaritudine moratur oculus meus, sed quod vobis in visceribus Iesu Christi cupio, studio promptæ alacritatis infumpsi. dulcis homini requies post laborem, post inediam iucunda refectione, post seruitutis ergastulum, pretiosa & speciosa est libertas. Liber igitur à curâ pastoralis officio, quam inuitus accepi, & sustinui laborans, & voluntarius desero; vos à vinculo vestræ professionis abluo, bona imprecans, salutaria desiderans, prospera cupiens, & vniuersitati vestræ pacis & gaudij manipulos affectu piæ charitatis exoptans. Siquid inter vos, vel à vobis passus sum, diuinæ adscribo iustitiæ, & peccatis meis imputo: illis à quibus passus sum, refero cum indulgentia, gratiam, & munus orationis exhibeo. Vnum peto à charitate vestra, vt domui vestræ fideliter & strenuè provideatis, ne talis ingrediatur, qui pondus potius afferat quam leuamen, & pro gratiæ fructu, semina iaceat odiorum, & fiant nouissima monasterij huius peiora prioribus. Valete.

Indulgere si quid aduersum vos minus prudenter excessi, & orantem pro vobis, vestris orationibus adiuuate. Hoc ipsum rogat Fr. Albertus, & plurimum salutat. Spiritus consilij & pacis sit tum omnibus vobis. Amen. Fratrem Gislebertum, locium nostrum vnanimem, & sincerè dilectum in Christo, charitati vestræ commendo plurimum, & ipsum rogo seruare vobiscum vnitatem spiritus in vinculo pacis.

Finis Epistolarum Philippi Abbatis
de Eleemosyna.

EPIST.

(a) Theobaldus Comes Blesensis Cænobium Eleemosyna fundauit.